

**Fiefuet, Pierre-Hubert-Joseph -
candidat / Botentuit Langlois,
Pierre-Mathurin - président. - De
catheteris flexilis. E lamellâ argenteâ
conflati et emendati, in catheterem è
gummi elastico compositum
praestantiâ**

1788.

***Paris : Apud Clousier, Regis,
nec non regii Chirurgiae
Collegii, Typographum, viâ
Sorbonae.***

Cote : ms 2346, n°24

D E
CATHETERIS FLEXILIS.

*È lamellâ argenteâ conflati & emendati, in catheterem
è gummi elastico compositum præstantiâ.*

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

PRO PUGNANDÆ.

*Die Sabbati, 2^a mensis Augusti, ann. R. S. H. 1788,
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*


P A R I S I I S ,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,
ET MAGISTERII LAUREA.



Apud CLOUSIER, REGIS, nec non regii Chirurgiæ Collegii, Typographum,
viâ Sorbonæ.

M. DCC. LXXXVIII.








CELSISSIMO ET POTENTISSIMO
DOMINO LUDOVICO-FRANCISCO
MARCHIONI DE SABRAN,
È COMITUM DE FORCALQUIER STIRPE ORIUNDO,
REGIS CASTRORUM ET EXERCITUUM PRÆFECTO.
DICAT, VOVET, CONSECRAT -

P. H. J. FIEFUET.





D E

CATHETERIS FLEXILIS

*E lamellâ argenteâ conflati emendati, in catheterem
è gummi elastico compositum præstantiâ.*

T H E S E S

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

NUMEROSISSIMI sunt qui catheterismum requirunt morbi :
illi enim vesicam, hi vesicæ collum; alii urethram, alii urethræ
viciniam lædunt; & præcipuæ illæ divisiones alias etiam subdivi-
siones complectuntur, quas hîc singulas & enumerare, &
A

explicare non aggrediemur; sed id unum monitum volumus, ex illis causis plurimas adesse quæ continuò in urethrâ relinqui catheterem jubent, quod ni facias, maximus ex frequentiori cannulæ immisione nascitur dolor; aut etiam irritatio ex repetito attritu suborta urethræ contractilitatem, aut sensibilitatem ità concitat, ut mox de novo catheterismus institui nullo modo possit.

Sed fistulæ metallicæ rigiditas ità ægro molesta, ut talem cannulam ferens commodè nec sedere, nec ambulare queat, & graviùs insuper aliquandò ex hujus usu nascitur malum: sæpè fit enim ut continuâ solidi catheteris infrâ pubis arcum pressione, hîc gangrænâ corripatur urethra, quòd licet secundùm varias canalis inflexiones contorqueatur catheter, certis tamen punctis, ut pote cedere & flecti nescius, magis comprimat. Idèò id apprimè studuerunt Chirurgi ut, his vitatis incommodis, canalis tamen artificialis in urethrâ remaneret, & jugiter hæc ad nutum urinæ foras eliminari possent. Quod optimè obtinuerunt usu catheteris flexilis qui ad varios urethræ sinus sese accommodare, diversosque ægri motus & inflexiones permittere docilis, nec rigiditate, nec immobilitate lædens, prædicta numquam afferre potest detrimenta.

Verùm cùm ea sit artium omnium natura, ut rudes primo & informes machinæ excogitentur, quas longior deindè perpoliet usus, cùm longiùs quandoquè ab inventore distet qui perficit, quàm inventor ipse ab iis qui se ipsum præcesserunt, ità in omni Chirurgiâ, & pariter in hoc de quo tractamus artificio factum fuit, ut varii ex variâ materiâ, variâ compositione, variâ structurâ flexiles catheteres fabricati fuerint, quorum alii aliis, vario respectu, præstant. Sed cùm præcipuè nunc in usum veniant qui è gummi elastico componuntur, nec idèò tamen omnia quæ vulgò iis tribuuntur commoda præferre nobis videantur, de illis differere fert animus, causasque exponere ex quibus cannulis ex tortili ductilique metallo conflatis debetur præstantia. Sed antè, ut meliùs utriusque catheteris usus aut incommoda innotescant, urethræ fabricam, sinus, & inflexiones, ac præsertim varia quæ ex partibus vicinis nasci possunt impedimenta, Anatomie facie præviâ, exponemus.

EX ANATOMIA.

Colis corpus est cylindricum corpore cavernoso, & urethrâ compositum, quod obtegit cutis, & involucrum ligamentosum à suspensorio penis ligamento oriundum: de cute & corpore cavernoso, ut pore ad nostrum hoc propositum minùs pertinente, filebimus.

Urethra canalis est membranaceus à vesicæ cervicæ ad extremum protensus glandem; decem vel duodecim in homine pollices longus, in contrarium bis incurvatur, & litteræ S figuram refert: ab ortu ad inferiora pubis symphyseos descendit, indè ad penis radicem ascendit, demùmque ad extremam glandem fertur. Tres in partes dividi solet, prostaticam nempe, membranaceam, & spongiosam. Prima quindecim sexdecimve lineas extensa, glandulâ prostatâ reconditur; secunda pollicem longa, sub cute ponitur; tertia infrâ penem, & in semî canali inter corpora cavernosa excavato recumbit.

Prostata corpus est glandulosum, castaneæ nucis molem referens, durum firmumque, folliculis scatens innumeris, ex quibus decem circiter emergunt canaliculi, in urethram, propè verumontanum, liquorem effundentes albicantem, viscosum, lubricandis partibus idoneum, præcipuum seminis in actu venereo vehiculum, ipsiusque seminis in spadonibus vicarium.

Pars urethræ membranacea eò attentius consideranda venit, quò faciliùs cathetere duriùs hùc adaçto lædi posset: cùm enim debilissima sit, non mirum si devium iter ibi potissimùm sequatur immissa in urethram fistula.

Pars spongiosa textu cellulari circumdatur, sanguini facilè pervio, quod fit in erethismo coitum comitante, tunc enim ex sanguinis præsentia ut reliquum colis erigitur. Non eadem est ubique hujus textûs cellularis crassities; initio copiosior, deindè rarior, in glande ad maximam molem crescit, ipsiusque corpus conficit. Initium hujus urethræ partis vocatur bulbus, corpus videlicet rotundum & elongatum, urethram inferiùs amplectens, & veluti bipartitum cavitate quæ medium occupat, & antèriùs longè protenditur. Hic etiam dux animadvertuntur glandulæ Cowperianæ seu prostatæ inferiores dictæ, quarum

A 2

excretorius canalis in urethram aperitur. Secretus ab iis glandulis liquor prostatae liquori similis, similes ad usus inservit.

Interior urethrae cavitas, praecipue nobis consideranda, versus prostatam latissima, eminentiam oblongam hinc continet *verumontanum* dictam, à vesicae collo oriundam, & inferiori urethrae parieti adhaerentem: ad ejus latera hiant canalium ejaculatoriorum orificia, & paulò antè duo sinus reperiuntur, in quos facillè sese inferret catheteris rostrum, nisi, ubi hùc pervenit paululùm, extolleretur. Hinc ad glandis originem ferè eadem est urethrae diameter: secundùm hanc longitudinem aliæ reperiuntur adhuc aperturæ, quæ lacunæ seu mucosi dicuntur urethrae sinus: in glande tandem multùm augetur cavi diameter, & idè fossa navicularis nominatur.

È C H I R U R G I A.

Antequàm excogitati fuerint catheteres è gummi elastico; novissimis temporibus frequentem in usum adhibiti, si cui aegro relinquendus erat in urethrâ catheter flexilis, non alio utebatur, quàm tubo è lamellâ argenti in spiram contortâ conflato, qui sic conficitur.

Veruculum primo paratur debitæ crassitiei circà quod lamina argentea, malleo, non igne complanata & elongata in spiram deducitur, & ubi justam affecuta est longitudinem, argento fusili, non stanno, ut pote faciliùs in dissolutionem abituro, utrique extremitati conferruminatur: ex iis extremitatibus, altera in quoddam veluti infundibulum desinit, cujus lateribus annectuntur annuli duo, altera in fundulum abit hinc & indè perforatum, quod fistulae *rostrum* nominatur.

Tùm leviori & tenuiori membranulâ, gallicè *baudruche* dictâ, vestitur cannula, bombycinumque filum suprà spiras contrarium in sensum convolvitur, & cerâ seu unguento ad nutum composito omnia conteguntur.

Plurima flexilem hunc catheterem sequi dicebantur incommoda vel etiam pericula, undè cannulae elasticæ, ubi primum excogitatae fuerunt, maximo in honore, & pro pretiosissimâ artis inventione habitæ sunt; sed rebus æquâ lance ponderatis, forsan elevabuntur commentitia hæc vitia, aut facili emen-

5

ditione corrigentur, dùm alia in cannularum è gummi elastico compositarum usu detegentur, quæ nullâ arte vinci possent.

Sed antequàm ea percurramus vitia, palàm profiteri liceat nunquàm nobis in animum venisse hos catheteres prorsus & omni casu esse rejiciendos, id unum volumus, ut cautè adhibeantur, & ubi nocivi aut inutiles forent, alteri metallici tutiorem in usum veniant.

Primum & præcipuum in eo consistit vitium, quòd textu ferico duntaxat consentur, super additâ membranulâ tenuiori (*baudruche*) gummi elastico dein obtegendâ. Indè fit ut molliores sint & flexibiliores, quàm ut debitos ad usus inservire possint. Enim verò licet mollities & flexibilitas ibi desideretur, quædam tamen requiritur firmitas & resistentia, ut semel immisi in eodem statu constanter remaneant: quod ut obtineatur duplex in usum venit artificium. Vel enim annulis plurima inferuntur fila, quæ hinc indè secundum glandem decurrunt, & infrà ipsius coronam nodo, uti vocant, Chirurgico simul revinciuntur: vel duæ fasciolaræ per annulos pariter trajectæ, deindè bipartitæ, & circâ corpus, & infrà femur deducuntur, duplicique retinentur nexu. Sed utrumcunque medium elegeris, ne tamen fixam immotamque in urethrâ cannulam remansuram esse speraveris; nam sive canalis ipsius & vesicæ contractione, sive variis agri motibus, sponte suâ quandoquè eggrederetur: quod celeberr. hujus Collegii Magistri, D. Caron autoritate comprobatur, quodque ipsi non semel vidisse testamur. Id fit autem ex eo quod per se jam flexibilior, calore & humiditate canalis magis ac magis emollita, in se ipsam replicetur, & licet alterâ extremitate probè constringatur, altera tamen ex urethrâ paulatim sese expediat.

Aliud etiam gravius indè oritur malum quòd molliori structurâ ita quandoquè imminuatur earum cannularum diameter, ut parietibus sibi invicem applicatis, nullus jam urinæ pateat exitus. Adfit, verbi gratiâ, durus renitensque prostatae tumor, tumoris in urethram & pariter in cannulam compressione prorsus inutilis evadet cannulæ usus; imò etiam, ut vidit jam laudatus celeberr. Magister, si magis magisque ingravescat micturitio, urethram inter & cannulam potius quàm per ipsum cannulæ cavum stillabit urina. Item si in eadem glandulâ, aut in aliâ qualibet vicinæ parte major suboriat inflammatio,

calore nimium adaucto mollescet elasticum gummi, & idem prorsus eveniet.

Non solum in earum cannularum corpore nascitur urinæ ejiciendæ impedimentum, ipsa quandoquæ orificia, si minora sint, lotio aditum denegant, facile enim vesicæ urinariæ muco obturantur, nec semper ad ejus viscositatem discutiendam sufficiunt stylus & injectio: si majora, oræ in se redeunt, repli- cantur, & collapsæ subsidunt. Si ipsa cannulæ extremitas per- foratur, circulari foraminis acie læduntur internæ canalis mem- branæ, & indè gravior quandoquæ irritatio & inflammatio nascitur; undè ad latera, ut plurimum, hiant: sed hîc etiam novum ingruit incommodum, namquæ si parallela fiant, ita imminuitur vis & robur cannulæ, ut periculum sit ne hîc disrumpatur, & pars extrema in vesicâ remaneat, fu- turus citius ociusve imminens calculi nucleus: si vario loco aperiantur, facile ingurgitatur, difficile degurgitatur cannula, & ægrè admodum ut suprâ monuimus, artificialem hanc viam urina quandoquæ ingreditur.

Ultimum tandem nec minoris momenti periculum secum inferunt cannulæ è gummi elastico, quod infundibulum me- tallicum, extremitati exteriori annexum, & cannulæ retinendæ dicatum, non satis firmiter ipsi cannulæ adhæreat: co- chleam quidem habet, quæ totidem in cannulâ insculptis gradibus inferitur, sed quomodò credendum striaturis quæ molles & flexibiles primo impulsui facile cedunt? Fieri igitur solet ut non cochleæ spiris, sed solâ intrusione retineatur, undè patet infidam prorsus hanc cohæsionem esse judican- dam.

Ex dictis hætenus facile jam inferri potest quare antepo- nendus nobis videatur catheter flexibilis è metallo confectus. Et quidem, licet ita lentus sit ut in omnes sensus inflecti & contorqueri queat, firmum tamen remanet corpus, integer servatur & ejusdem capacitatis diameter, & urinæ, muco, puri, aliisque humoribus liber utique patet exitus. Sive adsit canalis urethræ inflammatio, sive prostaticorum tumor, sive aliud quodvis simile obstaculum, nec calore mollescit, nec suborto impedimento subsidet, sed idem semper remanet can- nulæ lumen. Firmiori contextu gaudens, nec ægri motibus, nec vesicæ vel canalis quo continetur contractione à sede suâ depellitur. Parallela majoraque foramina nunquam imminuun-

tur, semper urinæ excipiendæ inhiant, faciliusquè, si muco obstruuntur, immisso stylo expediri possunt: infundibulum tandem rostrumque corpori firmiter conferruminantur.

Indè igitur satis abundè confirmaretur catheteris è metallo tortili præstantia, nisi refellenda remanerent nonnulla quæ huic objecta fuerunt vitia. Dictum enim fuit *rostri* cum spiris cohesionem licet argento non stanno confectam, lapsu tamen temporis separari posse, & maximum indè, quod jàm monuimus, imminere malum: item exterioris membranæ filorumque rupturâ, & unguenti seu ceræ colliquatione nudas remanere laminarum spiras, aut etiam quandoquè maximo cum ægri detrimento, detorqueri & evolvi.

Sed hæc omnia unicâ eâdemque facillimâ correctione in melius mutari possunt (1).

Loco fili serici quod cannulam obvolvitur, textilia fila, fusorum ope, circa veruculum (ut sit in cannulis è gummi elastico) implicentur, textumque continuum efficiant qui primò spiras aberrare probè vetabit, deindè utrique extremitati firmiter coarctabitur: totidem enim ibi aperientur obliqua foramina quot extabunt textûs fila, quæ ibidem trajecta, & in semî canali intus excavato decurrentia, aut ansam efformabunt, aut nodo constringentur. Sic nullo imminente periculo, omnia commoda complectetur cannula è flexili metallo composita, cui novum etiam accedet pretium, si, pro cerâ vel unguento, gummi elastico exteriùs illinatur.

Ex his igitur omnibus concludere posse putamus ità emendatum flexibilem catheterem cannulæ è gummi elastico præstare, eique omnibus ferè casibus esse anteponendum.

Hæc Theses, Deo juvante, & præside M. PETRO-MATHURINO BOTENTUIT LANGLOIS, Artium & Chirurgiæ Magistro, antiquo Scholarum Moderatore, antiquo Scholæ

(1) Hanc emendationem celeberr. jàm laudato Magistro D. Caron acceptam referimus,

*practica Professore ; Regia Chirurgorum Academia Socio ;
in Supremo Senatu Patrono , tueri conabitur PETRUS-HU-
BERTUS-JOSEPHUS FIEFUET Quercetanus , in almâ Uni-
versitate Parisiensi Artium Liberalium Magister , Militarium
Regis Nosocomiorum nuper Chirurgus , Theseos Auctor.*

F I N I S.